Pars dissertationis, qua theologia gentilis, praecipue platonica, adumbratur et cum judaïca et christiana comparatur.

Vulgaris est opinio multorum theologorum et philosophorum, praecipue nostra aetate, rationem humanam adeo esse debilitatam et corruptam, ut nisi a deo ipso illustrata rectam dei notitiam habere non possit. Sed scriptores sacri et qui vocantur profani, docent natura rerum contemplanda eo homines pervenire, ut esse deum intelligant. Davides enim, poeta summae auctoritatis, divino afflatus numine, carmine pulcherrimo (Psalm 19, 1 — 7) hunc fontem aperit communem, purum, omnibus aditu facillimum, ex quo homines scientiam dei hauriant. „Coelum, inquit, enarrat dei gloriam et opus ab eo constructum laudat firmamentum." Mirum quantum cum eo congruit Cicero, qui (Tusc. 1, 28.) „quum videmus, inquit, speciem primum candoremque coeli; deinde conversionis celeritatem tantam, quantam cogitare non possumus; tum vicissitudines dierum atque noctium commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum et ad temperationem corporum aptas — haec igitur et alia innumerabilia quum cernimus, possumusne dubitare, quin his praesit aliquis vel effector, vel moderator tanti

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

operis et muneris." Et alio loco idem: „quid potest esse tam apertum tamque perspicuum, quum coelum suspeximus coelestiaque contemplati sumus, quam esse aliquod numen praestantissimae mentis." (N. D. 2, 2.) Eandem sententiam tuetur Aristoteles de mundo, cap. 6. „Invisibilis, inquit, (ἀθεώρητος) omni mortali deus ex operibus spectatur" (ἀπ' ἔργων θεωρεῖται).

Idem est, quod divus Paulus (Rom, 1, 19. 20) tradit: τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς· ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. His verbis illa sententia mihi subjecta esse videtur: quod dei cognosci potest, id apud eos manifestum est, quippe qui deus iis patefecerit. Τὸ γνωστὸν enim semper passivam habet vim nec pro ἡ γνῶσις usurpatur. Non igitur satis recte alii hunc locum mihi interpretati esse videntur: palam est, inter eos esse notitiam dei. Tum pergit apostolus: τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ, quae ejus sub oculos non cadunt, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης, aeterna ejus potentia et majestas, καθορᾶται spectantur τοῖς ποιήμασι, ex operibus, ἀπὸ κτίσεως κόσμου, inde a mundo procreato, νοούμενα, si considerantur. Est ὀξύμωρον in ἀόρατα καθορᾶται. —

Observatio. Quae cum ita sint, est christiani diligentissime contemplari rerum naturam nec indignum esse videtur praeceptore imprimis christiano, ut e rerum natura admirabilem numinis divini vim, sapientiam, benignitatem apparere demonstret. Nec est, quare irascamur, si quis res inanimas apostolos dicit, quum auctor psalmi CIV, vers. IV. dicat: facis tibi ex ventis nuntios, (ἀγγέλους) ex igne flammanti ministros. Ex quo efficitur, ut necesse sit, quicunque praecipere de rebus divinis cupiant, rerum naturae se peritissimos esse studere. In vulgus notum est, qui naturae cognoscendae studiosissimi fuerint, eos semper fere fuisse religiosissimos.

Ex contemplatione naturae etiam Plato, deus philosophorum, ut ait Cicero, rectam dei notitiam hausit. Is enim quaerentibus, quis sit deus, (dixerunt enim alii alios deos) plane aperteque respondet eum esse deum, qui

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mundum hunc perfectum et admirabilem procrearit et gubernet. Nam dicit in Timaeo: (pag. 28. B.) ortus est mundus, quandoquidem cernitur et tangitur et corpus habet. Omnia autem talia sensum movent, sensus moventia quae sunt, opinione et sensu comprehendenda, quae ortum habere gignique diximus: id autem, quod ortum habet, dicimus a causa aliqua profectum sit necesse esse. Atque illum quidem effectorem et quasi parentem hujus universitatis invenire difficile, et quum jam inveneris, indicare in vulgus non potes (*γέγονεν· ὁρατὸς γὰρ ἁπτός τέ ἐστι καὶ σῶμα ἔχων, πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα αἰσθητά, τὰ δὲ αἰσθητὰ δόξῃ περιληπτέα μετὰ αἰσθήσεως, γιγνόμενα καὶ γενητὰ ἐφάνη· τῷ δ' αὖ γενομένῳ φαμὲν ὑπ' αἰτίου τινὸς ἀνάγκην εἶναι γενέσθαι· τὸν μὲν οὖν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν*). Platonem igitur non tenet opinio eorum, qui mundum sine initio esse putant nec a deo effectum. Consentit autem cum libris sacris de procreatione mundi. Auctor enim Genesis omnia a deo esse aedificata et quaecunque deus aedificasset, esse admodum bona pronunciavit (Genes. 1, 31). In eadem sententia est Plato, qui in Timaeo, (28. C.) videndum, inquit, utrum sit imitatus exemplar operis fabricator, idne quod semper unum et idem est et sui simile, an id quod generatum est. Atqui si pulcher est hic mundus, si probus ejus artifex, profecto speciem aeternitatis imitari maluit; sin secus, quod ne dictu quidem fas est, generatum exemplum est pro aeterno secutus. Non igitur dubium, quin aeternitatem maluerit exsequi, quandoque neque mundo quidquam pulchrius neque ejus fabricatore praestantius. Sic ergo generatus ad id effectus est, quod ratione sapientiaque comprehenditur atque immutabili aeternitate continetur. Ex quo efficitur, ut sit necesse hunc, quem cernimus mundum, simulacrum esse alicujus aeterni. (*ἐπισκεπτέον περὶ αὐτοῦ, πρὸς πότερον τῶν παραδειγμάτων ὁ τεκταινόμενος αὐτὸν ἀπειργάζετο, πότερον πρὸς τὸ κατὰ ταὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχον, ἢ πρὸς τὸ γεγονός· εἰ μὲν δὴ καλός ἐστιν ὅδε ὁ κόσμος ὅ,τε δημιουργὸς ἀγαθός, δῆλον, ὡς πρὸς τὸ ἀΐδιον ἔβλεπεν· εἰ δὲ, ὃ μηδ' εἰπεῖν τινι θέμις, πρὸς τὸ γεγονός· παντὶ δὲ σαφὲς, ὅτι πρὸς τὸ ἀΐδιον· ὁ μὲν γὰρ κάλλιστος τῶν γεγονότων, ὁ δὲ ἄριστος*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

τῶν αἰτίων· οὕτω δὴ γεγενημένος πρὸς τὸ λόγῳ καὶ φρονήσει περιληπτὸν καὶ κατὰ ταὐτὰ ἔχον δεδημιούργηται· τούτων δὲ ὑπαρχόντων αὖ πᾶσα ἀνάγκη τόνδε τὸν κόσμον εἰκόνα τινὸς εἶναι. Et alio Timaei loco dicit idem: (29. E) probitate praestabat deus, probus autem invidet nemini, itaque omnia sui similia generavit. (ἀγαθὸς ἦν· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος· τούτου δ' ἐκτὸς ὢν πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γενέσθαι παραπλήσια ἑαυτῷ.) Vereor igitur, ne sint impii et dei optimi vituperatores, qui omnia pessima esse queruntur praeter se et eos, qui suam doctrinam de deo et de rebus divinis sequantur. Eodem fere modo, quo μισολόγοι nostrae aetatis, auctor Psalmi XIV (Davidem non esse auctorem docet versus septimus), fortasse Judaeus exsul, ab hostibus agitatus et vexatus, ira et indignatione commotus (est igitur quod excusetur) omnes homines i. e. externos, idolotatras, gentiles, praeter Judaeos, populum dei, qui sint בְּרוֹר צַדִּיק, esse corruptos queritur. Abutuntur igitur hoc carmine theologi ad demonstrandum genus humanum esse pessumdatum et corruptum, nisi forte putant Judaeos non esse generis humani.

Quis enim est ea asperitate et immanitate naturae, qui neget inter gentiles fuisse homines summa virtute praeditos? qui non diligat Paulos, Catones, Fabricios, Scipiones aliosque innumerabiles? qui non maximo perfundatur gaudio, cum meminit, Aristidem, Epaminondam, Socratem, Zenonem? Si quis dicat horum virorum virtutes splendida fuisse vitia, impugnat sententiam Petri, illius discipuli, in quo Christus ecclesiam suam fundavit, qui ait: (Act. 10, 35.) apud omnes nationes, qui deum veretur et juste facit, is ei acceptus est Is igitur non est, ut ita dicam, vere petrianus (ut a Paulo paulianus, a Christo christianus) qui in hanc sententiam non discedat. Etiam Petrum antea imbutum fuisse ea opinione judaïca, ut crederet, omnes populos praeter Judaeos esse impuros, profligatos et perditos, a deo contemptos, ex initio capitis, quod supra attulimus, luce clarius apparet.

Quid aut quale sit deus, homines mente comprehendere non possunt

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Libri igitur sacri tradunt (1 Cor. 6, 16.) deum habitare in luce inaccessa, i. e. ad majestatem numinis divini non posse accedere mentem humanam, itaque negant quemquam hominum cernere, i. e. cognoscere deum posse. Agnita igitur inscitia nostra caute nos loqui et meminisse oportet, quae ad explicandam dei naturam in medium conferantur, ea non satis quid ipse sit, sed potius, qualis ille sit, aut certe, qualem mens nostra comprehendat, aperire, ut ait Hyperius. Cui non in mentem venit Simonides, poëta clarissimus, qui quum hoc idem interrogatus esset a tyranno Hierone, deliberandi sibi unum diem postulavit et postridie iterum interrogatus biduum petivit; quum saepius numerum dierum duplicaret miransque Hiero ex eo requireret, cur ita faceret: quia, quanto, inquit, diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. (Cic. de Nat. deor. 1, 22.) Dubitari non potest, quin hoc idem evenerit Platoni. Longum est ex Platonis scriptis demonstrare, quid de natura dei docuerit. Liceat mihi uti verbis scriptoris de placitis philosophorum, qui Plutarchi nomine fertur, qui dicit: (1, 17) Socrates et Plato deum esse docuerunt unum, *τὸ ἕν*, unigenitum, a se ipso ortum, singulare, vere bonum, quibus nominibus omnibus mens sive natura quaedam intelligens significatur. Est igitur deus mens, separata forma, *χωρὶστὸν εἶδος* i. e. aliquid ab omni materia secretum nullique permixtum patibili rei (*Σωκράτης καὶ Πλάτων τὸ ἕν, τὸ μονοφυὲς, τὸ αὐτοφυὲς, τὸ μοναδικὸν, τὸ ὄντως ἀγαθόν· πάντα δὲ ταῦτα τῶν ὀνομάτων εἰς τὸν νοῦν σπεύδει· νοῦς οὖν ὁ θεὸς, χωριστὸν εἶδος, τοῦτ' ἔστι τὸ ἀμιγὲς πάσης ὕλης, μηδενὶ παθητῷ συμπλεγμένον.*) Conf. Plat. de rep. VI p. 509 B. In eadem sententia est Cicero, qui (Tusc. 1, 27): nec vero deus, inquit, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quaedam et libera, segregata ab omni concretione mortali omniaque sentiens et movens ipsaque praeditos motu sempiterno. Itaque deus nihil concreti habet, nihil solidi. Nefas est ejus formam adumbrare. Exodus 20, 4. Est cogitandus talis, qualem nostrum animum cogitamus. Idem docet Christus, qui (Joh. 4, 24) ait: *πνεῦμα ὁ θεὸς, καὶ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτὸν ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν· καὶ γὰρ ὁ πατὴρ τοιούτους ζητεῖ τοὺς προσκυνοῦντας αὐτόν.*

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cui haec legenti non in mentem venit illud Catonis?

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue pura sit mente colendus.

Seneca dicit in libro deperdito: (Lact. 6, 25) „vultisne vos deum cogitare magnum et placidum et majestate leni reverendum, amicum et semper in proximo? non immolationibus et sanguine multo colendum, (quae enim ex trucidatione immerentium voluptas est?) sed mente pura bono honestoque proposito? Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore.“

Esaias deum loquentem inducit: (Cap. 66, 1.) „coelum solium meum est et terra pedum meorum scabellum: ubinam domus est, qnam mihi construatis? aut ubi requietis meae locus?“

„Colitur deus, inquit Seneca (epist. 115.) non taurorum opimis corporibus contrucidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed pia et recta voluntate.“ Conf. Psalm 50, 9. usque ad finem.

„Animadverto, inquit idem, etiam deos ipsos non tam accuratis adorantium precibus, quam innocentia et sanctitate laetari gratioremque existimari, qui delubris eorum puram castamque mentem, quam qui meditatum carmen intulerit. Mali non effugiunt impietatem, quamvis aras sanguine multo cruentaverint.“

„Cultus deus est optimus, ut ait Cicero, idemque castissimus plenissimusque pietatis, ut eum pura, integra, incorrupta mente veneremur.“ Quomodo autem nostram dei venerationem ostendere possimus, docet Jacobus, qui (Cap. 1, 27.) ait: *Θρησκεία καθαρὰ καὶ ἀμίαντος παρὰ τῷ θεῷ καὶ πατρὶ αὕτη ἐστίν· ἐπισκέπτεσθαι ὀρφανοὺς καὶ χήρας ἐν τῇ θλίψει αὐτῶν, ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου.* Ex Jacobi igitur sententia vera religio perficitur duabus maxime rebus, beneficentia et vitae puritate. 1 Cor. 13. 1 Joh. 4, 7 — 12. Num igitur, qui se doctrinae christianae doctores profitentur, vere christiani sunt, qui tantum abest, ut homines ad

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

mutuum amorem summo studio cohortentur, ut odium contra eos, qui in rebus divinis ab ipsis dissentiant, concitent? Longe abhorret eorum animus ab animo Christi, qui ait: (Joh. 13, 35) *Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.* Matth. 5, 44. 45. 48. Tales homines opinari videntur, se ad eam sapientiam pervenisse, ut aequum sit omnes idem, quod se, statuere et velle. Immemores sunt dicti paulini: *ἐκ μέρους γιγνώσκομεν.* Non pauci, qui se veram Christi doctrinam profiteri simulant, ad tantum furorem progressi sunt, ut homines incitarent, ne magistratibus parerent. *Ὁ δὲ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν. Οἱ δὲ ἀνθεστηκότες ἑαυτοῖς κρίμα λήψονται· οὐ γὰρ εἰκῇ τὴν μάχαιραν φορεῖ ἡ ἐξουσία.* Rom. 13. 1 Petr. 2, 13. 14.

Conferatur oratio de vero dei cultu habita a Zollikofero, viro clarissimo, qui dignissimus est, cujus scripta ab hominibus christianis praecipua hac aetate diligentissime legantur.

Ignoscite, quaero, quod oratio mea a proposito digressa sit: *ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ,* id est: ex animi redundantia loquitur os. Moeror enim me lacerat et conficit cogitantem religione, cui propositum sit efficere, ut homines inter se ament, homines versutos, obscuros, astutos, fallaces, callidos, veteratores, vafros, imperandi denique cupidissimos abuti, ut discordiam moveant, cogitantem ab iis, qui se evangelii doctores esse velint, patriae carissimae vires ea ratione debilitari. Utinam tandem aliquando exoriatur alter Arminius, qui ab ista servitute ignominiosa nos liberet! Est autem facilius Arminio statuam ponere, quam ipsum imitari. Sed poenas meritas illi accipient. Christus enim ait: (Matth. 1, 26) *Ὃς ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει αὐτῷ, ἵνα κρεμασθῇ μύλος ὀνικὸς ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ καταποντισθῇ ἐν τῷ πελάγει τῆς θαλάσσης. Οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, δι' οὗ τὸ σκάνδαλον ἔρχεται.*

Sed haec satis.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Cum et libri divini et philosophorum scripta doceant animum esse deum, efficitur eum aeternum esse. Plato enim tradit: (Phaedr. 245 C) *Πᾶσα ψυχὴ ἀθάνατος· τὸ γὰρ ἀεικίνητον ἀθάνατον, τὸ δ' ἄλλο κινοῦν καὶ ὑπ' ἄλλου κινούμενον, παῦλαν ἔχον κινήσεως, παῦλαν ἔχει καὶ ζωῆς· μόνον δὴ τὸ αὑτὸ κινοῦν, ἅτε οὐκ ἀπολεῖπον ἑαυτό, οὔποτε λήγει κινούμενον, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις, ὅσα κινεῖται, τοῦτο πηγὴ καὶ ἀρχὴ κινήσεως· ἀρχὴ δὲ ἀγένητον· ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μηδ' ἐξ ἑνός· εἰ γὰρ ἔκ του ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἔτι ἀρχὴ εἴη· ἐπειδὴ δὲ ἀγένητόν ἐστι, καὶ ἀδιάφθορον αὐτὸ ἀνάγκη εἶναι· ἀρχῆς γὰρ δὴ ἀπολομένης οὔτε αὐτή ποτε ἔκ του οὔτε ἄλλο ἐξ ἐκείνης γενήσεται, εἴπερ ἐξ ἀρχῆς δεῖ τὰ πάντα γίγνεσθαι· οὕτω δὴ κινήσεως μέν ἀρχὴ τὸ αὑτὸ κινοῦν, τοῦτο δὲ οὔτ' ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δύνατον, ἢ πάντα τε οὐρανὸν πᾶσάν τε γένεσιν ξυμπεσοῦσαν στῆναι καὶ μήποτε αὖθις ἔχειν, ὅθεν κινηθέντα γενήσεται· ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' ἑαυτοῦ κινουμένου ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτόν τις λέγων οὐκ αἰσχυνεῖται· πᾶν γὰρ σῶμα, ᾧ μὲν ἔξωθεν τὸ κινεῖσθαι ἄψυχον, ᾧ δὲ ἔνδοθεν αὐτῷ ἐξ αὐτοῦ, ἔμψυχον, ὡς ταύτης οὔσης φύσεως ψυχῆς· εἰ δ' ἔστι τοῦτο οὕτως ἔχον, μὴ ἄλλο τι εἶναι τὸ αὐτὸ κινοῦν ἢ ψυχήν, ἐξ ἀνάγκης ἀγένητόν τε καὶ ἀθάνατον ψυχὴ ἂν εἴη.*

Hunc locum illustrissimum Cicero in primo libro Tusculanarum disputationum (Cap. 23) in latinum convertit, quae interpretatio a Mureto in libro octavo variarum lectionum (Cap. 3) cum Platonis verbis diligentissime collata est et digna, quae legatur.

Scriptores quoque librorum sacrorum deum docent et fuisse omni tempore et futurum esse omni tempore, nec initium habuisse, nec finem habiturum, esse uno verbo aeternum. Hoc dicere vult Jesaias, cum cap. 44, 6. deum omnium primum et omnium ultimum vocat, hoc auctor Apocalypsis, cum deum dicentem facit: *ἐγὼ τὸ Α καὶ τὸ Ω, ἀρχὴ καὶ τέλος.* Idem docet auctor psalmi CII (v. 25 — 28) his verbis usus: tu, qui annis es ae-

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ternus, olim terram condidisti, per te coeli constructi. Illa interibunt, tu perdurabis, et omnia illa, ut vestimentum, veterascent, ut pallium ea mutabis, et mutabuntur, sed tu semper idem, anni tui non finientur. Eodem redit psalmus XC. Ad te deus, inquit vates, semper confugimus. Priusquam nati sunt montes, formataque tellus, ab aeterno in aeternum es deus. Apud te mille anni habentur pro hesterno die praeterito proque nocturnis excubiis. Illustri et magnifica imagine utitur Jobus, cum, cap. 36, 26., dicit: „innumerabiles sunt anni ejus: quot guttae aquae per imbres dejiciuntur, effusae e nubibus, tot sunt ejus anni.“

Eandem sententiam tuetur Paulus, qui deum esse dicit *ἄφθαρτον* (1. Tim. 1, 7.) et *μόνον ἔχοντα ἀθανασίαν.* 1. Tim. 6, 16.

Cum autem nihil deo perfectius cogitari possit, efficitur bonum esse deum. Sed pervulgata fuit per totum fere orbem terrarum opinio deum interdum hominibus perniciem afferre et ad peccandum inducere. Ea opinione imbutum fuisse Homerum, summum poetam, ex multis carminum ipsius locis intelligimus. Conf. Il. 9, 632. Odys. 4, 261. Odys. 23, 222. Odys. 11, 276. Il. 4, 66. Il. 23, 384. Aeschylus, poeta sublimis et gravis, qui primus tragoedias in lucem protulit, ait:

θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς,
ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήθην θέλῃ.

Sophocles in tragoedia facile princeps dicit in Antigone 620. 622.

σοφίᾳ γὰρ ἔκ του κλεινὸν
ἔπος πέφανται,
τὸ κακὸν δοκεῖν ποτ' ἐσθλὸν
τῷδ' ἔμμεν, ὅτῳ φρένας
θεὸς ἄγει πρὸς ἄταν.

Schol.

Ὅταν δ' ὁ δαίμων ἀνδρὶ πορσύνῃ κακά,
τὸν νοῦν ἔβλαψε πρῶτον, ᾧ βουλεύεται.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Addo jambos, quos Lycurgus orator vehementissimus et patriae amantissimus in oratione contra Leocratem attulit:

ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά,
τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Auctor autem Exodi deum loquentem facit: atque ego Pharaonis animum indurabo. Cap. 4, 21. Cap. 7, 3. Cap. 8, 32. Cap, 9, 34. Cap. 14, 4.

In eadem opinione est is, qui libros Samuelis conscripsit. Saulus enim, inquit, (1 Sam, 18, 10. 11.) quum postridie malo dei spiritu correptus insaniret, hastam, quam in manu habebat, in Davidem more suo fides pulsantem jaculatus est parieti affigere studens. Et alio loco: (1 Sam. 19, 9) Saulus quum malo dei spiritu correptus domi sederet, hasta, quam in manu habebat, Davidem fidibus canentem conatus est affigere parieti.

Haec et similia confutat Plato illis verbis usus: (Polit. II. p. 379 B.) *Οὐκοῦν ἀγαθὸς ὅγε θεὸς τῷ ὄντι τε καὶ λεκτέον οὕτως; Τί μήν; Ἀλλὰ μὲν οὐδέν γε τῶν ἀγαθῶν βλαβερόν; ἦ γάρ; Οὔ μοι δοκεῖ. Ἆρ' οὖν ὃ μὴ βλαβερὸν βλάπτει; Οὐδαμῶς, Ὃ δὲ μὴ βλάπτει, κακόν τι ποιεῖ; Οὐδὲ τοῦτο. Ὃ δέ γε μηδὲν κακόν ποιεῖ, οὐδ' ἂν τινος εἴη κακοῦ αἴτιον; Πῶς γάρ; Τί δέ; ὠφέλιμον τὸ ἀγαθόν; Ναί. Οὐκ ἄρα πάντων γε αἴτιον τὸ ἀγαθόν, ἀλλά τῶν μὲν εὖ ἐχόντων αἴτιον, τῶν δὲ κακῶν ἀναίτιον. Παντελῶς γ' ἔφη. Οὐδ' ἄρα ὁ θεὸς, ἐπειδὴ ἀγαθός, πάντων ἂν εἴη αἴτιος, ὡς οἱ πολλοὶ λέγουσιν, ἀλλ' ὀλίγων μὲν τοῖς ἀνθρώποις αἴτιος, πολλῶν δὲ ἀναίτιος· πολὺ γὰρ ἐλάττω τἀγαθὰ τῶν κακῶν ἡμῖν. Καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν.*

Cum Platone consentiunt Christus et discipuli ipsius. Christus enim docet: (Matth. 19, 17) *Οὐδεὶς ἀγαθὸς εἰ μὴ εἷς, ὁ θεός.* Johannes deum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

ἀγάπην vocat (1 Joh 4, 16). Jacobus dicit: (1, 17) πᾶσα δόσις ἀγαθὴ καὶ πᾶν δώρημα τέλειον (mera bona, nihil noxium aut inutile) ἄνωθέν ἐστι καταβαῖνον ἀπὸ τοῦ πατρὸς τῶν φώτων, (luminum, id est omnium bonorum. Lumen enim causa et signum omnis boni, lumen pro bono ut tenebrae pro malo) παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Et alio loco: (Cap. 1, 13 — 15.) μηδεὶς πειραζόμενος λεγέτω· ὅτι ἀπὸ τοῦ θεοῦ πειράζομαι. Ὁ γὰρ θεὸς ἀπειραστός ἐστι κακῶν, πειράζει δὲ αὐτὸς οὐδένα. Ἕκαστος δὲ πειραζόμενος ὑπὸ τῆς ἰδίας ἐπιθυμίας ἐξελκόμενος καὶ δελεαζόμενος. Εἶτα ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν· ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον· id est: sua quisque cupiditate allectus et inescatus tentatur. Deinde cupiditas conceptum parit peccatum, peccatum autem perpetratum gignit mortem. His verbis originem peccati demonstrat Jacobus simulque impugnat superstitionem et judaïcam et gentilem homines, ut peccent, a deo aut a diabolo induci, quae quidem perversa opinio etiam nostra aetate apud homines doctos et indoctos non sine damno viget.

Cum Jacobo mirum quantum congruit Archytas Tarentinus, qui apud Ciceronem (de senectute cap. 12) dicit, „nullam capitaliorem pestem quam corporis voluptatem hominibus a natura datam. Hinc patriae proditiones; hinc rerumpublicarum eversiones; hinc cum hostibus claudestina colloquia nasci; nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret. Impedit enim libido consilium, voluptas rationi inimica est, ac mentis, ut ita dicam, praestringit oculos nec habet cum virtute commercium.“

Ubi igitur adsuefecerimus nos imperare cupiditatibus, peccatis abstinebimus.

Quoniam bonus est deus, efficitur, ut necesse sit eum omnis invidiae esse expertem, nam ἀγαθῷ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίγνεται φθόνος. (Timaeus pag. 29 E) et alio loco. (Phaedr. pag. 247 A.) ὁ φθόνος ἔξω τοῦ θείου χορροῦ ἵσταται.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Ab ea sententia deo digna saepe dissentiunt scriptores antiqui numini divino invidiam affingentes, ut auctor Genesis, Homerus, Herodotus. Conf. Genesis 6, 3. Genesis 11, 6. Jl. 7, 446. seqq. Odyss. 8, 565. seqq. Odyss. 5, 119. seqq.

Ἐπίσταμαι, inquit Solon apud Herodotum, (1, 32) *τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν*. Et alio loco (3, 40.) Herodotus Amasin, regem Aegypti, facit scribentem ad Polycratem, regem Sami: *Ἡδὺ μὲν πυνθάνεσθαι ἄνδρα φίλον καὶ ξεῖνον εὖ πρήσσοντα· ἐμοὶ δὲ αἱ σαὶ μεγάλαι εὐτυχίαι οὐκ ἀρέσκουσι τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἔστι φθονερόν*. Apud eundem (7, 46) Artabanus: *ὁ θεὸς*, inquit, *γλυκὺν γεύσαι τὸν αἰῶνα φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται*.

Sed deo nihil esse beneficentius, et ab eo proficisci omnia, quae habeamus in bonis et benignitatem ipsius ad universos et singulos pertinere usus rerum et multa scriptorum antiquorum testimonia docent. „Multos et nostra civitas et Graecia tulit singulares viros, quorum neminem nisi juvante deo talem fuisse credendum est. — Nemo igitur vir magnus sine aliquo afflatu divino (conf. 2 Tim. 3, 16) unquam fuit.“ Cic. N. D. 2, 66.

„Quod si inest in hominum genere mens, fides, virtus, concordia: unde haec in terras nisi a deo defluere potuerunt?“ Ibid. cap. 31.

„Bonus vir sine deo nemo est. An potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat consilia magnifica et erecta. In unoquoque virorum bonorum habitat deus. Si hominem videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa felicem, in mediis tempestatibus placidum, non subit te veneratio ejus? Non dices, ista res major est altiorque quam, ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc divina descendit. Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus optamusque, videntem, coelestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.“ Senec. ep. 41.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

„Deus ad homines venit; imo in homines venit. Nulla sine deo mens bona est.“ Cicero oratione pro Sulla (cap. 14) palam praedicat consilium patriae servandae fuisse sibi injectum a diis, quum Catilina conjurasset adversus eam. „O dii immortales! (vobis enim tribuam, quae vestra sunt: nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinas in illa turbulentissima tempestate reipublicae mea sponte dispexerim) vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis: vos me ab omnibus ceteris cogitationibus ad unam reipublicae salutem convertistis: vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae clarissimum lumen praetulistis menti meae.“

„Priscorum in inveniendo cura, in tradendo benignitas est donum deorum. Quod si quis illa forte ab homine excogitari potuisse credit, ingrate deorum munera intelligit.“ Plin. H. N. 27, 1. 2.

„Neque enim nostra illa, quae invenimus, dixeris. Jusita sunt nobis omnium aetatum omniumque artium semina magisterque ex occulto deus producit ingenia.“ Conf. Exod. 31, 3. 35, 31. Judic. 3, 10. Jud. 6, 34. Jud. 11, 29. Jud. 13, 25. 1 Sam. 11, 6.

Mundo mirifice a deo esse consultum oculis quodammodo videre licet; quam in rem elegantissime canit poeta Psal. 104. et diligentissime disputat Cicero de Nat. Deor. 2, 39., uterque admirabili consensu.

De ceteris dei virtutibus alio tempore disserere mihi in animo est.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf